



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Justus M. 18. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

508 VITÆ S A N C T O R V M . 18.Octob.

in omni itinere , quin adeò in vinculis Achates, Christi primò vitam mortemque, tum, quæ Apostoli alii fortiter fecerunt, prescripsit. Abiit è vivis cùm annum ageret quartum supra centesimum, & tunc etiam memor medicum se esse , ægris vel è tumulo medicinam , oleum salutiferum propinavit. Illud pñè memoriam fugisset. Primus fuit LVCAS, qui MARIA M felici manu depingeret, in eâ tabellâ , quæ etiam hodie miraculis lucet, dignus profecto, cuius penicillū Mariani omnes imitentur, idem in animis faciendo, quod LVCAS in tabellâ fecit. Ex tom. I. Baron.

Recurramus ad innocentiam primitivæ Ecclesie , ut discamus & possessa relinquere, & in regia paupertatis simplicitate gaudere. Non nos à caelesti itinere carnalis illecebra retrahat lenocinium , quibus per præcedentis Redemptoris introitum patet anla calorum. Pet. Dam. serm. de S. Luca.

S. J U S T U S M . 18.Octobris.

Domi cum parentibus JVSTVS puer, at in servitute frater Justinianus agebat. Igitur nec sinus jam matris, nec oscula patris arridebant JVSTO , quæ dividere cum germano non licebat. Multis proin lacrimis persuadet tandem patri, secum ereptum è servitute fratrem eat. Itur. Ambianum venitur. Hic etsi JVSTVS fratrem numquam vidisset, inter multa tamen mancipia continuò agnoscit ; indicium cognato intus sanguine faciente. Sic dimidio sui jam auctior dum domum redit, à Riccio varo equites adsunt. JVSTVS postquam spelæo patrem fratremque abdidit, obvius it exploratoribus. Scilicet hi mortem intendant, nî comites prodat. Sed negat ille didicisse se

pa-

19. Octok. VITÆ SANCTORVM. 509
parentes prodere ; id vel tum ostendisse , cùm
caput pro libertate fratris objecisset. Dicenti hæc
crudelior cæteris caput aufert. Sed ecce truncus
Martyris suis ipse manibus hoc amplexatus humo
attollit. Diffugiunt monstro perculsi equites , &
ad tristem aspectum exclamat pater fraterque.
Verum solatur utrumque Jvstvs : nempe officium
se filii fecisse, vitam, quam à patre accepisset, red-
didisse. Demum caput suum offert, mandatque,
matri ferant tumulandum. Id cùm factum est, tan-
to lumine ædes maternas complevit, ut sua etiam
oculis cæcæ puellæ lux rediret , puto , ut qui in
Jvsto illustre sive in fratrem sive patrem pietatis
exemplum non videt , etiam cæcis minus se vide-
re videat. Ex Surio.

*Si propter proximum Christus sanguinem effudit,
quid magnum facis , si per exhortationem jacentem eri-
gas? Quinimò, si periclitandum etiam fuerit pro salute
alterius, non subterfugiamus. Nam id nobis salutis erit
occasio, multamq; conciliabit fiduciam. S. Chrysost.*

S. VARUS MART. 19. Octobris.

VIdit & persæpè laudavit Ægyptus VARI mi-
litis virtutem , sed numquam magis , quām
cùm in ipsum Imperatorem suum Maximianum
pugnavit, sine perfidiâ, quia pro fide. Pugnæ verò
occasio hæc fuit. Septemgemi Martires è vin-
culis libertatem Christianam propugnabant. His
dum VARVS inservit , ecce uni ex eorum nume-
ro cælum beatâ morte vacationem à militiâ do-
nat. Sed ne numero suo fortissima cohors desti-
tueretur, ultrò VARVS noster in demortui sta-
tionem succedit. Mox Christianæ fortitudinis in-
gentia documenta contra equuleum, scorpiones